Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1305

Quelle:
Copyright:

DLXXXII.

U. 427 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 171. f. per duas columnas multis compendiis, ut solebant Scholastici, scriptus, coloribus distinctus, et Collegio Ducali olim donatus a *M. Petro de Pirchenwart* continet I. Tractatus dogmatici *de Unitate et Trinitate* Dei Fragmentum Sec. XIII. nitidissime exaratum, quod incipit: *Qui producit ventos de thesauris suis, qui percussit primogenita egipti ab homine usque ad pecus* &c. Abrumpitur *fol.* 4. Acutus sane dialecticus fuit Autor, neque *Lombardi* via processit. Post annum 1207. scripsisse innuit non semel citatus ab eo *Magister Praepositivus*, qui eo anno Cancellarius *Parisinus* dicitur ab *Egass. Bulaeo* in *Hist. Univ. Paris.* T. III. p. 706. et *Summam* theol. elaboravit, ut pluribus habes in *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. XVI. *h. v.* Nostri nomen fortasse cum fine Tractatus excidit.

II. *fol.* 5. *Incipit primus liber* (in Magistrum Sententiarum) *Guarre.* Illustrem hic in arena theologica *Oxonienſi* et *Parisina* pugilem, eoque nomine notandum habemus, quod *Johannem Scotum* Ordinis sui discipulum nactus fuerit, *Guilelmum* ab Oppido natali *Waria* (Ware) in Comit. *Hertford. de Warra, Guarra, Guarronis, Varronis*, quin *Verum* et *Varrilonum* dictum. Docuit is *Parisiis* post Sec. XIII. medium, ut habes apud *Tannerum, Fabricium, Waddingum*, quem *Oudinus* confectis jam, antequam Catholicos defereret, *Commentariis* suis postmodum, ut se novis Συμπιστοις adprobaret, convitia passim inferciens T. III. *col.* 568. mendaciter scripsisse ait, *Guilelmum* a *J. Pico Mirandul.* in *Apologia* sua adpellatum fuisse *excellentem Doctorem, Ecclesiæ lumen, fidei propugnaculum*, mendax ipse, nam haec Elogia in edit. *Opp. Pici Basileae per Heinr. Petri* 1557. f. *fol.* 159. *pag.* 1. non nisi caecum effugere possunt. Verum isthaec odiosa mittamus. Initium Commentarii nostri est: *Quoniam testante beato augustino 8. de civ. dei c. 8. finis ideo finis dictus est, quia propter hunc cetera uolumus* &c. Liber II. *fol.* 77. p. 2. sic incipit: *Circa secundum librum queritur primo, vtrum multitudo creaturarum possit esse in mente ab uno principio* &c. Liber III. *fol* 127. *Circa tercium librum queritur primo, vtrum incarnacio sit possibilis, quia enim incarnacio est quedam unio* &c. Liber IV. *fol.* 147. p. 2. *Circa quartum librum queritur primo, utrum sacramenta possint efficere* &c. Extrema sunt: *sicut accidens affligit suam speciem in uirtute substantie. Explicit 4. liber Varronis qui fuit Magister Scoti siue doctoris subtilis.* Unde etiam ad ejus Sepulcrum *Coloniae* inter XIV. Doctores nomen suum aeri incisum habet.

DLXXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2023 XIV. Folior. 58. 4. per duas columnas commode scriptus, rubricis